



Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

Abelly, Louis

Coloniæ Agrippinæ, 1659

II. Quæ sit materia Baptismi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38979

derit animam suam propter me, inueniet eam quibus verbis S. Augustin. Lib. 2. de orig. an. cap. 12. asserit Martyres: quibus contigerit antè pro Christi nomine occidi quàm Christi Baptismate dilui, exceptos esse ab hac sententia; nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto &c. & libr. 3. cap. 4. de Symb. ad Catechumenos dicit sanctos Innocentes, *Ab Originali peccato fuisse suo sanguine dilutos*: Vnde sequitur secundum eius mentem (quod & plurimi Theologi asserunt) martyrium singulari Dei dispensatione, non modò ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, gratiam conferre.

Ex his facile est intelligere quid S. Doctor art. 11. & cum eo communiter Theologi significare velint; cum triplicem Baptismum, fluminis, fluminis, & sanguinis distinguunt: Baptismus enim fluminis, est Baptismus in re susceptus; Baptismus fluminis, est Baptismus in voto: Baptismus denique sanguinis, est martyrium quod morte pro Christo perpessa consummatum est.

SECTIO II.

Quæ sit materia Baptismi.

Dicendum 1. aquam naturalem esse remotam Baptismi materiam. Id constat ex his Christi Domini verbis S. Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* quæ de Sacramento Baptismi per aquam naturalem conferendo intelligenda esse declaravit Concil. Trident. sess. 7. can. 2. de Bapt. Vbi & aquam naturalem materiam Baptismi esse definit; quod & in Concilio Florent. in Decret. Eug. & in Conei. Lateran. cap. *Firmiter* de summa Trinitate antè definitum fuerat. Nomine autem aquæ naturalis intelligitur illa quæ est elementaris & simplex, sive sit ex mari, sive ex flumine, aut fonte, aut palude, aut etiam ex pluvia, ut docet S. Thomas q. 66. a. 3. & 4. In quo singularis prorsus elucet divinæ in homines misericordiæ benignitas quod ad Sacramentum tantæ necessitatis & utilitatis

B. 3. conf.

conficiendum, (ut observat Catech. Trid. p. 2. c. 2.) materiam illam delegerit, quæ semper præsto est atq; ab omnibus ubique facile parari potest.

Hinc colliges aquas omnes artificiales & alios humores mixtos, exempli gratia, aquam quæ ex rosis aut aliis floribus vel herbis elicitur, item quæ ex sale resolvitur, lithyrmas etiam, salivam, & similes liquores qui ab aqua naturali specie differunt, non esse idoneam & sufficientem Baptismi materiam: è contra verò Baptisinum valide confici posse ex quacunque aqua naturali quamvis accidentaliter immutata, dummodò veram aquæ naturalem formam secundum communem hominum æstimationem retineat; nihilque proinde ad hujus Sacramenti validitatem conferre, si aqua calida sit aut frigida, pura vel impura, vel ex glacie, nive, grandine expressa, aut aliquo quore alieno in modica quantitate permixta; omni enim ejusmodi aqua communis est Theologorum sensus, & expressa S. Thomæ Doctrina a. 4. posse Baptismi Sacramentum valide confici; valide inquam; nam ut licite administraretur, aqua pura quantum fieri poterit adhibenda est.

Dicendum 2. materiam proximam Baptismi esse abluionem ex aqua naturali, ut constat ex illis Christi Dominus verbis: *S. Matth. cap. ultim. Baptizantes eos in nomine Patris &c.* & ex communi Doctrina & praxi totius Ecclesiæ, cum enim aqua sit materia remota Baptismi, oportet materiam ejusdem proximam in applicatione ipsius materiam remotam, quæ per abluionem fit, consistere, ut constat ex dictis capite præcedenti. Vnde S. Doctor quæst. 66. a. q. ad 3. dicit fieri Sacramentum, non in ipso elemento, sed in homine, cui adhibetur elementum per usum abluionis.

Quæres 1. qualis ablutio ad Baptismum requiratur. Resp. quòd, quamvis olim Baptismus ut plurimum fieret per immersionem; certum est tamen per effusionem quæque aut asperisionem aquæ valide conferri posse, ut docet S. Thomas; a. 7. Et usus communis Ecclesiæ declarat, quod

& ab ipsis Apostolis incepit; Actor. 2. & 4. Vbi dicuntur uno die tria hominum millia baptizasse, quod non nisi per asperionem factum fuisse probat Isambertus disp. 2. a. 1. ad cit. quæst.

Cæterum nihil ad validitatem Sacramenti refert, utrum unica vel tria ablutio aut immersio fiat, ut observat Catech. Trid. p. 2. c. 2. & olim declaravit S. Gregorius lib. 1. ep. 41. ad Leandrum. Retinendus est tamen usus, qui in una-quaque Ecclesia particulari receptus est, sicut monet idem Catechismus.

Quæres 2. quanta ablutio sit ad Baptismum necessaria. Respond. tantam requiri quæ secundum communem loquendi morem verè ablutio dici possit, ad quod unica gutta sufficere non censetur; sed ea quantitate aquæ opus est, ut is qui baptizatur, verè dicatur abluï. Ita docent Sotus, Suares, & alii apud Laymannum cap. 3. de Baptismo. Observat tamen rectè Isambertus ad Baptismum validitatem sufficere posse guttas aliquot, quæ corpus tangerant cum aliqua sui divisione & partium successione quod ad scrupulos tantum amovendos hic adnotamus, non verò ut ex aliquo humano respectu Sacramenti huius minister in illius collatione aliquot tantum guttas adhibeat, ne verbi gratia infantuli alicuius nobilis corpus ex aquæ frigore tantillum lædatur, cum in Sacramento tantæ necessitatis ea semper aquæ quantitas adhibenda sit, quæ ad eius validitatem citra quodcunque dubium sufficere possit.

Quæres 3. quænam corporis pars abluï debeat ut validus sit Baptismus. Respond. Baptismus haud dubiè validus fore, si caput hominis abluatur: quod docet S. Thomas q. 68. a. 11. ad 4. & Ecclesiæ præcepto faciendum esse constat ex cap. *Postquam vos*, de consecrat. dist. 4. & ex Catech. Trident. part. 2. cap. 2. Validum quoque fore existimant Sotus, Suares, & alii apud Laymannum cit. capit. 3. & etiam Isambertus ad quæst. 66. disput. 3. artic. ultimum. Si scapula, pectus, & alia ejusmodi notabilis pars abluatur.

Cæterum si alia pars minùs notabilis, verbi gratia manus, pes, &c. tantummodò ablueretur; ut si infans in egressu ex utero materno manum vel pedem proferret, tunc si imminet aliquod vitæ periculum, baptizandum quidem esset; sed cum dissentiant inter se Doctores, utrum valeat eiusmodi Baptismus, docet S. Thomas loco citato & post illum Alexander Alenis p. 4. q. 17. memb. 3. & alii communiter, remoto postea infantis periculo Baptismus esse sub conditione repetendum. Addit Laymannus si præ sentiendum idem esse, si infans pelle adhuc illa, quam vocant secundinam, circumdatus, propter periculum baptizetur; cum à quibusdam dubitetur an sit pars infantis quod etiam similiter dici debet, si soli capillia qua perfrunderentur: quamvis enim Sotus, Henriquez, Toletus, Vasques & alii apud eundem Laymannum supra existimant ad Baptismi validitatem id sufficere; quia tamen id certum non est, & alii Doctores contrarium sentiunt, idcirco tutius est in re tanti momenti Baptismus sub conditione repetere, cum nunquam satis tutò æternæ animæ salutis, quæ ex hoc Sacramento pendet, consuli possit.

SECTIO III.

Quæ sit forma Baptismi.

Baptismi forma hæc est: *Ego te baptizo in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti.* Quod constat ex Concilio Lateranensi cap. firmiter de Summa Trinitate, Florentino indecret. Eug. & Tridentino sess. 7. can. 4. Parte 2. cap. de Baptismo; additurque in Romano Catechismo formam illam à Christo Domino Apostolis ac toti Ecclesie traditam fuisse S. Matth. 28. his verbis; *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

In qua quidem forma exprimi debet primò actio ipsius ministri, ut docet S. Thomas: q. 66. 2. 3. Vnde Alexander